

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

5

MAIO 1965



CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

« Notitiae » prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, Città del Vaticano

Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis
sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)

Singuli fasciculi veneunt:
in Italia lit. 200 (\$ 0,35)
extra Italiam lit. 300 (\$ 0,50)
In Italia pecunia mittenda est per
c/c/p N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

5

SUMMARIUM

... in pace cum Sanctis . . . 97

Acta Consilii 99
Quinta Sessio plenaria
« Consilii » 99
Summarium Decretorum . 105

Actuositas Coetuum Episcoporum 109
Austria, Gallia, Jugoslavia,
Polonia, Iaponia, India,
Congus-Leopoldopolitanus,
Brasilia, Canadia, Civitates
Foederatae Americae
Septentrionalis, Columbia,
Trinidad et Tobago Insulae,
Venetiola, Australia.

Documentorum explanatio . 136

Nuntia 144

Illustratio extra textum:

IULIUS Card. BEVILACQUA

... in pace cum Sanctis

Die 6 maii 1965, Brixiae, ad caelestem Patriam peragravit Em.mus Card. IULIUS BEVILACQUA, titulo diaconali « S. Girolamo della Carità », e Congregatione Oratoriana S. Philippi Nerei.

Veronae, die 14 nov. 1881 natus, Card. Bevilacqua studia peregit Brixiae, et Lovanii magistro Card. Mercier. Sacerdotio initiatus die 13 iunii 1908, vitam sacerdotalem praesertim Brixiae totius civitatis iuventuti dicavit, apostolus et pater, magister et amicus.

Anno 1952, ecclesiam paroecialem s. Antonii in suburbio Brixienso aedificari curavit inter pauperrimos incolas civitatis, inter quos extrema vitae vivere cupiebat.

Die 22 augusti 1960, Ioannes XXIII eum membrum nominavit Commissionis praeparatoriae de sacra Liturgia; die 2 octobris 1962 peritum Concilii; die autem 4 martii 1964, Paulus VI inter Sodales « Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » eum adnumeravit; et, die 22 februarii 1965, ad sacram Purpuram evexit.

Sacram Liturgiam ceu culmen et fontem vitae spiritualis et pastoralis aperte vidit et coluit, et ex illa mysterium Christi plenius hausit, eiusque efficacitatem, qua parochus, mire expertus est. Sacras celebrationes omnesque ipsarum partes, praesertim vero catechetica, pastoralis, musicam accurate praeparabat, fideles autem suos verbo et exemplo praecipue eosque manu quodammodo ducebat, ut mysterium Christi per sacra signa manifestatum comprehenderent et viverent.

In coetibus Commissionis praeparatoriae et « Consilii » theologos, exegetas, historicos liturgiae attentus et meditabundus auscultabat: at



Iulius Card. Bevilacqua (a. 1960)

Ex phototheca « Consilii »

eius oculi vivido et fulgenti prae gaudio micabant lumine quando theoretica problemata ad praxim pastorem applicabantur. Tunc tacere non poterat: « Habeatis me excusatum ... sum pauper parochus » incipiebat, sed tunc ille « pauper parochus » observationes et consilia sapientia et experientia plena alatis et saepius irruentibus verbis exprimebat.

E coetibus numquam abfuit.

Etiā pro Sessione V, in fine mensis aprilis habenda, iam suam miserat schedulam participationis; et cuidam sacerdoti illum, post acceptum laethalis morbi nuntium invisenti dixit se dolore magno affici cum Coetibus « Consilii » partem habere iam non posset; et petiit acta sibi transmitti ut labores spiritualiter saltem sequi valeret.

Die 26 aprilis, Sessionem V inchoantes, Sodales « Consilii » fraternum illi nuntium telegraphicum miserunt, vota et preces ipsi significantes; quibus ille, die sequenti, his verbis respondit: « *Ho assistito al grande Vostro lavoro di questi anni con ammirazione e Vi ritengo benemeriti della Chiesa. Commoſso del Vostro ricordo ringrazio e benedico. Cardinal Bevilacqua* ».

Adventum Domini iam imminere, nocte paschali, durante sacratissima Vigilia, dolores ex morbo vehementius insurgentes illi significarunt. Et peculiarem gratiam in hoc sensit: nuntium scilicet habuisse reditus ad Patrem, dum una cum suis fidelibus « Alleluia » canebat. Quod gaudium paschale usque ad ultimum aperte omnibus sibi invisentibus dixit, et astantibus significavit, cum in extremo agone per ultima verba Apocalypsis confortari voluit: « Veni, Domine Iesu ».

QUINTA SESSIO PLENARIA « CONSILII »

In aula Congregationum Palatii Apostolici Vaticani, diebus 26-30 aprilis 1965, locum habuit V Sessio plenaria « Consilii ».

Adfuerunt 20 sodales, E.mi Cardinales et Episcopi, et 41 periti, scilicet omnes Relatores et Secretarii Coetuum a studiis, quorum materia disceptanda erat.

1. PATERNA BENEVOLENTIA.

Sessionem aperiens, die 26, hora 17, Em.mus Card. Iacobus Lercaro, Praeses, primo, omnium animum filialem ac devotum, erga Beatissimum Patrem revocavit, Illi sensus venerationis exprimens hoc nuntio: « Praeses, Sodales, Periti “ Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia ”, quintam sessionem plenariam celebrantes, de primis gressibus renovatae liturgiae ad dominici gregis sanctificationem fovendam laetantes, Sanctitati Tuae efficaci verbo pastoralis exemplo Pastores omnes praeuunti grates rependunt ex animo, fausta vota ut filii addictissimi promunt, super seipsos et labores adhuc peragendos Apostolicam humiliter Benedictionem expostulant. Iacobus Card. Lercaro, Praeses ».

Sanctissimus Pater Paulus VI die 28 aprilis paterne respondit: « *Augustus Pontifex, piissima officia vestra grato admodum animo excipiens, eorumque vicem rependere cupiens, tibi cunctisque sodalibus peritis istius Consilii sessionem plenariam quinto agentibus, publicam tribuit laudem ob studiosam datam operam in commisso munere explendo ac dum allatam exinde spiritualium fructuum ubertatem valde gratulatur, Deum impense orat, ut praesentissimus vobis adsit, vestrosque prosperet labores ad nova procuranda universae Ecclesiae emolumenta. Caelestium autem donorum conciliatricem, Beatissimus Pater tibi, ceterisque laboris sociis, expetitam Apostolicam Benedictionem peramanter impertit* ». - Cardinalis CICOGNANI.

2. LAETA ET TRISTIA.

Deinde Cardinalis Praeses nonnulla commemoravit laeta, vel et tristia, «familiam» «Consilii» respicientia. Inter laeta, primo loco citavit elevationem P. Iulii Bevilacqua, d. O., «Consilii» Membri, ad honorem Romanae Purpurae (22 febr.); sed statim Em.mus Praeses addidit, se pridie illius diei (die 25 aprilis) eum invisisse super lectum doloris, in extremo agone degentem, et animo paschali laetitia fulgentem versus mortem iterantem. De desideratissimo Sodali in alia periodici parte sermo est.

Laetitia pariter omnes affecit promotio Rev.mi P. Ferdinandi Antonelli, O.F.M., item «Consilii» Membri, ad Secretariam Sacrae Rituum Congregationis (die 27 ianuarii 1965), et Rev.mi Mons. Petri A. Frutaz, Consultoris, et P. A. Bugnini, «Consilii» Secretarii, ad munus Subsecretarii eiusdem Sacrae Congregationis Rituum, primus ad sectionem pro causis Sanctorum, alter pro sacra liturgia (die 27 ianuarii 1965).

Sed et maestitia nuperrime replevit cor omnium sodalium, cum die 22 martii ad caelestem peragravit Hierusalem Exc.mus Franciscus Grimshaw, archiepiscopus Birminghamiensis, quem omnes cognoverunt «Consilii» Membrum actuosum, officiosum, prudentem, studiosissimum, humanissimum. Eius memoria, sicut memoria alterius «Consilii» sodalis praeclarissimi, nempe Exc.mi D. Jesus Enciso Viana, mense septembri anni praeteriti ad patriam revocati, in aevum benedicta servabitur.

3. ACTUOSITAS «CONSILII».

Deinde Secretarius «Consilii» relationem egit de peractis periodo decurrente a mense octobri 1964 ad mensem aprem 1965. Haec periodus distinguitur actuositatem editoriali. Sex sunt publicationes a «Consilio» paratae et nuperrime editae, nempe:

a) *Kyriale simplex* (14 decembris 1964);

b) *Cantus, qui in Missali romano desiderantur* (14 decembris 1964), pro concelebratione et pro Missae celebratione ad normam *Instructionis*. Utrumque opusculum paratum est a Coetu 25.

Sunt duae editiones typicae, diversi tamen momenti et valoris. Prima, *Kyriale simplex*, non continet nisi modos authenticos et antiquos cantus gregoriani; ergo ab omnibus musicis admittetur. Altera editio vero, seu *Cantus*, continet modos aptatos vel novos pro cantu sive Canonis, sive Doxologiae, sive Orationis dominicae. Proponuntur ad experimentum, etsi sunt in editione «authentica». Postquam tota litur-

gia recognita fuerit « Consilium » statuet an hi cantus admittendi sint in libris liturgicis, vel non.

c) *De Oratione fidelium* (13 ianuarii 1965).

Schema a « Consilio » approbatum die 16 novembris 1964 editum est ad instar manuscripti, de mandato Em.mi Praesidis, id est sub responsabilitate directa « Consilii ». Publicatio optime recepta est a Conferentiis Episcopalibus et plures facultatem petierunt illam vertendi in diversas linguas: quae facultas hucusque denegata est, donec editio completa paretur pro diversis anni temporibus et festivitatibus. Huic operi in praesenti laborant Coetus 12 et Coetus 18 bis.

Superfluum est declarare schema Orationum fidelium in commodum esse Commissionum Episcopaliū liturgicarum. Nullo modo volunt determinare, id est fixare, formam huius Orationis, quod esset contra eius naturam. Commissiones ipsae liberae sunt accipiendi has formulas vel alias conficiendi. Nolumus tamen tacere, opusculum fuisse in pluribus casibus subsidium pretiosissimum, praecipue ubi Commissiones Episcopales nequeunt multis et quidem peritis personis disponere.

d) *Ordo Missae* (27 ianuarii 1965).

Non solummodo opportunum sed necessarium fuit novum edere Ordinem, edita *Instructione* die 26 septembris 1964, quae notabiles inducebat variationes in ipsum ritum celebrationis. Quidam maluissent novum ex integro ritum confici. Et revera etiam « Consilio » idem primo ictu visum est, ita ut initio instrueretur totum novum schema ritus celebrationis Missae, magis systematice et logice dispositum. At postea haec prima idea derelicta est. Incommoda enim seu problemata maiora et plura fuissent quam commoda, sive relate ad Ritum servandum, et rubricas, et cleri consuetudinem existentes, sive relate ad futuram instaurationem, quam minime praeiudicari decet. Tunc ex consensu fere unanimi consultius statutum est, veterem Ordinem Missae recognosci, ita tamen ut quae nunc admitti potuissent, statim inducerentur in ipsum textum. Opus paratum et perpolitum est pluribus schematibus successivis a sodalibus Coetus 19 (De rubricis Missalis et Breviarii), a selectis Consultoribus ex aliis Coetibus, quorum interest, praesertim Coetus 10 (De Ordine Missae). Tandem totum schema examinatum est in sessione coniuncta « Consilium » inter et S. Rituum Congregationem, ut unanimi consensu textus definitive stabiliretur.

Die 27 ianuarii novus *Ordo Missae* editus est, cum magno gaudio ab omni clero acceptus.

Parvus liber plures iam habuit impressiones, et plures versiones, et subsidium est non parvi momenti ad rectam celebrationem agendam iuxta praecepta *Instructionis*.

e) *Ritus Concelebrationis et Communionis sub utraque specie* (7 martii 1965).

Iter formationis huius praeclarissimi ritus, quem « Consilium » uti primam « margaritam » sui laboris merito sibi vindicat, sic delineatur. Mense martio anni praeteriti Coetus a studiis 16, cui P. Cyprianus Vagaggini, O.S.B. praeerat, primum paravit schema ritus concelebrationis. Die 2 aprilis schema missum est examinandum triginta Consultoribus. Eorum animadversiones utillimae fuerunt ad parandum alterum schema, quod die 21 maii eosdem peritos per universum orbem dispersos adeptus est. Die 6 iunii textus emendatus transmissus fuit sodalibus « Consilii », qui illum examinaverunt et approbaverunt in III Sessione plenaria (18-20 iunii 1964). Textus definitivus Summo Pontifici delatus est ab Em.mo Cardinali Praeside die 26 iunii, et ab ipso Summo Pontifice approbatione munitus *ad experimentum*.

Experimenta primum facta sunt in sex Abbatiiis et in domo studiorum Patrum O.P., « Le Saulchoir » (Parisiis), certis sub conditionibus.

Deinde experimenta extensa sunt. Die 3 iulii Em.mus Praeses facultatem accepit concelebrationem permittendi « in singulis casibus ». Tunc petitiones multiplicari coeptae sunt. Concelebrationes in Basilica Vaticana peractae durante Sessione III Concilii Oecumenici, viam concelebrationi suaviorem reddiderunt et petitiones creverunt. Ita a die 3 iulii 1964 ad diem 21 martii 1965 indulta concelebrationis data Episcopis vel clero saeculari fuerunt 720; insuper, pro quibusdam nationibus, scilicet tribus in Europa, quinque in Africa, octo in America, ob particularia adiuncta, indulta data sunt modo colectivo Conferentiae Episcopali, cuius Praeses singulis Episcopis, in casibus peculiaribus et suetis condicionibus, communicavit.

Eodem temporis spatio, domus religiosae quae, praeter Abbatias ex officio statutas, concelebrationem petierunt, fuerunt 206; insuper octo Communitates, optimis quidem rationibus suffultae, indultum collectivum obtinuerunt pro suo Superiore generali, qui singulis religionis provinciis proprii Ordinis vel Congregationis, in determinatis casibus illud transmitteret.

Brevi, concelebrationes ad experimentum fuerunt ultra 1.500 in diversis orbis partibus et diversis in adiunctis. Archivum « Consilii »

documenta servat harum concelebrationum, relationes nempe, suggestiones, proposita, et photographias, pretii inaeestimabilis.

Mense octobri proxime elapso, invitatio pervenit, ut finis poneretur experimentis. Tunc suggestiones ex experientia receptae in textum inducendo, schema ipsum emendatum, nonnullis Consultoribus, semel, bis, ter transmissum est. Demum integer textus examinatus est inter sodales « Consilii » et Officiales Sacrae Rituum Congregationis.

Omnia tandem Summus Pontifex benigne approbare dignatus est in Audientia concessa Cardinali Arcadio M. Larraona, Praefecto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, die 4 martii p.e.

Vacatione legis transacta, feria V in Cena Domini, die sacratissimo Sacerdotii et Eucharistiae institutionis, ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie in universa Ecclesia ad normam Constitutionis de sacra Liturgia celebrari faustissime coepti sunt.

f) *Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae induendae* (7 martii 1965).

Quatuor Coetus: 17 (De anno liturgico); 25 (De re musica); 18 bis (De orationibus et praefationibus); 21 (De Pontificali romano), per plures menses adlaboraverunt ut pararentur *Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae induendae*: opusculum parvae molis, sed magni momenti. Agitur, ut notum est: 1) de *Missa Chrismatis* feriae V in Cena Domini, in qua substituuntur pericopae scripturales, et adduntur *cantus simplices*, ex edendo « Graduali simplici » deprompti, et ad libitum adhibendi, loco cantuum et melodiarum in Graduali romano exstantium; 2) de simplificatione ritus *consecrationis Oleorum*, quae valde opportuna erat et ad promovendam, etiam in hac Missa, participationem fidelium et ad accommodandum ritum consecrationis ad concelebrationem; 3) de quibusdam *orationibus sollemnibus* feriae VI in Passione et Morte Domini, quae recognitione indigebant, ut mutarentur quaedam expressiones minus bene sonantes relate ad novum spiritum oecumenicum a Concilio Vaticano II alte proclamatum: in particulari, de oratione I, pro Ecclesia; VII, pro unitate Christianorum; VIII, pro Iudeis; IX, pro nondum in Christum credentibus.

4. ORDO AGENDORUM SESSIONIS

Tandem plures sodales ex diversis regionibus brevi sermone exposuerunt incepta, proposita, fructus, difficultates, vota exorta ex primis

gressibus instaurationis liturgicae. Hae relationes publici iuris fient inde ab hoc fasciculo, ad communem aedificationem et subsidium.

Die sequenti, 27 aprilis, mane hora 9, examinari coeptae sunt relationes diversorum Coetuum a studiis, quae in « Ordine agendorum » inscriptae erant. Et quidem:

Coetus I. Principia seu criteria generalia ad Calendarium instaurandum (P. A. Dirks, O.P.).

Coetus III. De psalmis distribuendis (Mons. I. Pascher).

Coetus IV. De lectionibus biblicis in Breviario (Prof. Aem. Lengeling).

Coetus V. De lectionibus patristicis (Mons. M. Pellegrino).

Die 28 aprilis

Coetus VII. De hymnis (P. A. Lentini, O.S.B.).

Coetus VIII. De cantibus Officii divini (P. P. Visentin, O.S.B.).

Coetus XXV. De graduali simplici (Sac. A. Agustoni).

Coetus XXVI. De Caeremoniali Episcoporum (Can. A. G. Martimort).

Die 29 aprilis

Instructio de Musica sacra (Can. A. G. Martimort).

Quaestiones variae.

Coetus X. De Ordine Missae (Mons. I. Wagner).

Coetus XXIII. De Unctione infirmorum, de Viatico et de exsequiis (P. P. Gy, O.P.).

Die 30 aprilis

Coetus XXII. De baptismo adultorum (Prof. B. Fischer).

De his relationibus per singula sermo erit in proximis periodici fasciculis, ubi componentur ea quae in anteactis Sessionibus de eadem re forte discussa et statuta sunt, ut lectores rationem habeant magis completam de statu quaestionum et laborum.

sessio « Consilii » finem habuit die 30 aprilis, meridie, cum coetu inter Praesidem et Sodales ad discutienda ea quae magis consona videntur ad opus « Consilii » facilius reddendum.

Iamiam Sessionis opus claudebatur cum, iucundissimae coronidis instar, pervenerunt Em.mo Praesidi nonnulla exemplaria voluminis G. B. Card. MONTINI, *Discorsi su la Madonna e su i Santi* (Milano 1965), quae Beatissimus Pater Paulus VI, pro singulis « Consilii » Membris in donum misit, quaeque Sodales gratissimo et filiali animo ob paternam benevolentiam exceperunt, quintae Sessionis praeclarum memoriale.

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR
(a die 14 aprilis ad diem 13 maii 1965)

EUROPA

Cecoslovachia

- I. Documenta: 4 maii 1965 (Prot. n. 1981/65).
- II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: Bohemica, Slovaca, Polona, Hungarica, Germanica.
- III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:
 1. IN MISSA: iuxta decretum typicum, insuper praefatio.
 2. IN SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS: iuxta decretum typicum, exceptis exorcismis in ritu Baptismi.
- IV. Interpretationes populares adhibendae:
 1. MISSALIA:
 - a) Lingua bohemica:
Parva Missalia edita a SCHALLER, STRÍZ et liber cui titulus *Nové obřady svatého týdne*.
 - b) Lingua slovaca:
Latinsko-slovenský Misál.
 - c) Lingua polona:
Mszalik.
 - d) Lingua hungarica:
Latin-Magyar Misekonyv; Vasarnapi Misekonyv.
 - e) Lingua germanica:
Parva Missalia edita a SCHOTT et BOMM.
 2. RITUALIA:
Agendae singularium dioecesium sive provinciarum rite approbatae.

3. BREVIARIA:

Lingua slovac:

Versio Officii parvi beatae Mariae Virginis quae inscribitur *Malé hodinky*.

Gallia

V. Decreta particularia:

10. Baionensis (30 apr. 1965, Prot. n. 1982/65): confirmantur versio vasconica lectionum Missae pro diebus dominicis et festis a Pascha usque ad Hebdomadam Pentecostes, et partes Proprii Missae a dominica I Passionis ad diem Pentecostes.
11. Parisiensis (5 maii 1965, Prot. n. 2140/65): confirmatur interpretatio gallica Missae sanctae Magdalenae-Sophiae Barat.

Hibernia

V. Decreta particularia:

1. Ordinis Praedicatorum (27 apr. 1965, Prot. n. 1875/65): confirmatur versio anglica et gaelica precum ad gradus altaris et dialogi *Orate fratres iuxta ritum O. P.*

Hispania

V. Decreta particularia:

5. Sancti Sebastiani (8 maii 1965, Prot. n. 2155/65): confirmatur textus lectionum pro Missa a Pascha usque ad dominicam post Ascensionem lingua vasconica.

Italia

V. Decreta particularia:

8. Ord. Fratrum Min. (21 apr. 1965, Prot. n. 1832/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Ordinis quae exstat in parvis Missalibus *Messale romano-serafico* edito a LEFÈVRE (ed. L.I.C.E. - R. Berutti e C., 1954) et *Messale quotidiano romano-serafico* edito a P. BARBAN et A. MISTRORIGO (ed. Cenacolo Franciscano S. Antonio, 1954).

9. Taurinensis (27 apr. 1965, Prot. n. 1873/65): confirmatur interpretatio italica Missae de Beata Marja Virgine « della Consolata » et S. Ioseph Cafasso.
10. Cremonensis (13 maii 1965, Prot. n. 2314/65): confirmatur interpretatio italica Missae in festo Apparitionis beatae Mariae Virginis a Misericordia.
11. Societatis a Sancto Ioseph, vulgo « Giuseppini del Murialdo » (13 maii 1965, Prot. n. 2291/65): confirmatur interpretatio popularis Missae in honorem B. Leonardi Murialdo, Confessoris.

ASIA

Goana et Damanensis Archidioecesis

- I. Documenta: 21 apr. 1965 (Prot. n. 1817/65).
- II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: Konkani.
- IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Povitr Misachê Bhettechim Sodanchim Prartnam (Ordinarium Missae, 1965).

Misar Porgottche. Povitr Purannavele Bhag (Epistolae et Evangelia a dom. I Quadragesimae ad Dom. Paschae incl.).

Misar Porgottche. Povitr Purannavele Bhag. (Epistolae et Evangelia a I dom. post Pascha ad dom. XV post Pentecosten et quorundam festorum).

AFRICA

Chenia

I. Documenta: 5 maii 1965 (Prot. n. 2105/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

2. RITUALIA:

b) Lingua kimeru:

Rituale parvum.

V. Decreta particularia:

1. Kisumuensis (27 apr. 1965, Prot. n. 1874/65): confirmatur interpretatio popularis Ordinarii Missae lingua teso et liber precum *Eitabo Lok' Ailipasinei*, excepta versione Ordinarii Missae ibi inclusa.

OCEANIA

Tonga et Niue Insulae (Vicariatus Apost.)

I. Documenta: 27 apr. 1965 (Prot. n. 1622/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Pro Ordinario Missae: versio a Vicario Apostolico proposita.

2. RITUALIA:

Versio Ritus Sacramenti Paenitentiae a Vicario Apostolico proposita.

Actuositas Coetuum Episcoporum

DE PRIMIS GRESSIBUS INSTAURATIONIS LITURGICAE

Die 7 martii 1965, tempore pro legis vacatione statuto cessante, Instructio diei 26 sept. 1964 ubique terrarum in praxim deducta est. Ab Exc.mis Praesidibus Commissionum liturgicarum penes Coetus Episcoporum cuiusque Nationis petatum est, ut exponerent quatenam fuerint in suo territorio incepta, exitus, difficultates notatu digna, et quatenam propositiones utiles ipsis viderentur ad ulterius procedendum. Aliquae ex his relationibus lectae sunt a Sodalibus in primo coetu V Sessionis plenariae « Consilii », die 26 aprilis 1965. Omnes autem relationes quae ad Secretariam pervenient edentur in proximis fasciculis nostri periodici.

AUSTRIA

Generatim instauratio liturgica, die 7 martii huius anni introducta, grato animo in tota Austria recepta est.

I. RATIONES huius benevolae et cooperativae receptionis sunt sequentes:

1. Labor assiduus et indefessus motus liturgici una cum et sub directione Commissionis episcopalis de sacra Liturgia, prudenti sub moderatione Exc.mi Domini Francisci Salesii Zauner, episcopi Linciensis.

2. Ipsa Constitutio de sacra Liturgia Concilii Vaticani Secundi una cum Instructione ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia.

3. Non ultimo loco, immediata praeparatio cleri et populi usque ad diem 7 martii huius anni.

In sequentibus, modo brevissimo, enumerantur activitates praeparatoriae:

a) Congressus pro clero et conferentiae ad clerum a peritis in re liturgica.

b) Elaboratio alicuius collectionis, clero oblatae, cum multis exemplis practicis, quomodo procedere deberet in actionibus liturgicis.

c) Articuli de instauratione liturgica, publicati in periodicis hebdomadalibus dioecesium, pro toto populo conscriptis.

d) Articuli informativi publicati in diariis quotidianis.

e) Informatio ope radiophonii, praesertim in colloquiis (*interviews*) oblata. Quae colloquia introduxerunt fideles in problemata instaurationis, rationes pro instauratione praebendo.

f) Sessiones et adunationes Commissionis episcopalis de sacra Liturgia et eius subcommissionum.

g) Epistola pastoralis ad clerum.

h) Normae Conferentiae Episcopalis Austriae pro celebratione Missae.

Haec intensa praeparatio fecit ut dies 7 martii 1965 bona voluntate a fidelibus et clero expectatus sit. Praesertim populo clarum fuit per instaurationem liturgicam ipsum valde appropinquare ad altare et actuosorem partem habere in celebratione eucharistica.

Re vera, distantia moralis populum inter et celebrantem diminuta est. A pluribus partibus nationis nuntiaturum est maior frequentia populi in sacris functionibus, praesertim in diebus Tridui sacri.

II. DIFFICULTATES etiam quaedam apparuerunt et desideria ulteriora prolata sunt. Sacerdotes praesertim aegre tulerunt tardiores publicationem novae redactionis *Ordinis Missae* et *Ritus servandi*, sed etiam *Variationum* in Ordinem Hebdomadae sanctae introducendarum. Vacatio legis hisce in casibus sit longior.

Ecclesiae antiquiores in nostris regionibus non sunt aptae ad celebrationem secundum ritum instauratum, praesertim quoad sanctuarium. Ideo non raro parochi extruxerunt altaria simplicia ut celebrare possent Missam populum versus. Egemus etiam novis libris liturgicis. Huic difficultati per folia in libros inserenda provisum est.

Chori habent adhuc difficultates sese accommodandi novae formae celebrationis liturgicae et ad functionem eis per instaurationem datam.

III. DESIDERIA, quae frequenter proferuntur, haec sunt:

1. Necessarius est textus uniformis sacrae Scripturae pro tota natione. Egemus etiam quamprimum novo ordine pericoparum pro lectionibus sacris.

2. Una dioecesis desiderat ut preces ad gradus altaris dicendas etiam lingua vernacula proferre liceat.

3. Desideratur aliquando, ut partes propriae Missae (cantus processionales et interlectionales) substitui possint per hymnos ad tempus liturgicum adaptatos, ita ut celebrans non amplius illas partes lingua latina recitare deberet.

4. Valde optandum est, ut instructio quaedam daretur pro expositione SS. mae Eucharistiae, etiam occasione Quadraginta horarum.

5. Etiam praefatio dicatur lingua vernacula. Difficultas praesertim ex eo oritur, quod oratio super oblata ante praefationem et *Sanctus-Benedictus* post praefationem dici possunt lingua vernacula.

Haec desideria non tantum a clero proferuntur, sed praesertim a laicis instructis et in re liturgica bene versatis.

Omnes autem, clerus et laici, grati sunt pro opere incepto instaurationis sacrae Liturgiae, praesertim propter gratias et benedictiones per hanc instaurationem fidelibus concessas. Omnes sciunt, concessionem linguae maternae viam praeparare ad intimiorem connexionem cum Deo obtinendam. Sed etiam cognoscunt, primum locum semper tenere conversionem cordis, « metaniam ». Quando haec, gratia Dei et instauratione sacrae Liturgiae adiuvante; obtinebitur, nobis et omni populo nostro salus a Deo facta erit.

✠ EDUARDUS MACHEINER

Episcopus Auxiliaris Salisburgensis

GALLIA

I. INCEPTA

1. Tria decreta Episcoporum Galliae statuerunt applicationes *Constitutionis* de sacra Liturgia, praesertim de lingua vernacula mense februario, mense octobri et mense novembri anni elapsi, et cum littera pastoralis communi.

2. Pro tota Gallia:

Parata sunt in lingua gallica et Lectionarium et Missale altaris pro omnibus diebus anni liturgici: hi libri liturgici sunt communes pro nationibus quae lingua gallica utuntur.

Commissio episcopalis liturgiae dedit orientationes pastorales, etiam circa musicam sacram, et normas practicas ad celebrationem Missae.

Sessio intensiva — per tres hebdomadas — ad efformandos animatores liturgiae dioecesium (sexaginta participantes) et Congressus sacerdotum — fere mille — per tres dies super « Consectaria pastoralia instaurationis liturgiae ».

Omnes cognoscunt actionem continuam et maximi valoris, peactam per viginti annos a Centro Pastoralis Liturgico ductu Can. Martimort: hoc Centrum recenter efflorescit in novum Centrum nationale, cuius character est officialis.

3. In regionibus et dioecesibus:

Fere in omnibus dioecesibus, praesentata est *Constitutio* et postea *Instructio*; fere omnes sacerdotes partem habuerunt his sessionibus, et frequenter religiosae, et in aliquibus locis etiam laici.

Aliquando hoc factum est pro dioecesibus eiusdem regionis apostolicae, cum magno fructu quidem.

Actio Commissionum liturgiae in unaquaque dioecesi multiplex fuit, speciatim per « bollettino » ecclesiasticum et coadunationes sacerdotum: tradita sunt elementa pro homilia et monitionibus. Commissiones quasi foederantur in regionibus apostolicis (adsunt novem regiones complectentes unaquaeque decem vel duodecim dioeceses).

II. Exrrus

1. Acceptatio.

Ex parte sacerdotum:

Fere omnes, paucis renitentibus, paucis praetergradientibus, cum magno zelo et gaudio instaurationem in actum deduxerunt. Sacerdotes provectoris aetatis etiam, quamvis cum aliquo timore et fluctuatione.

Ex parte populi christiani:

Religiosae, modo entusiastico, fideles ex omni sexu et aetate etiam cum gaudio conatus effecerunt, tum in urbibus tum in regionibus ruralibus ubi vigent traditiones.

Adest aliqua oppositio: magis spectacularis et cum strepitu agens quam numerosa et repraesentativa; pro maiore parte, fundatur in rationibus politicis et sociologicis.

2. Fructus.

Participatio activa crescit: adest vere populus orans; satisfactio exprimitur per augmentum praesentiae initio functionis liturgicae: liturgia Verbi cum gustu in lingua vernacula accipitur.

Oratio cordis fovetur et nutritur per Verbum Dei.

Sensus Ecclesiae evolvitur et crescit, quia Missa percipitur ut actio totius Ecclesiae et populi. Notandus est influxus Orationis Communis.

Nexus vitalis inter liturgiam et totam vitam christianam magis conscius est et efficax.

Dignitas et veritas celebrationis eucharisticae novum splendorem acceperunt.

III. DIFFICULTATES

1. Ex parte sacerdotum:

Magis quam nova forma celebrationis, vera initiatio sensui instaurationis desideratur; et sacerdotes hanc expectant. Multi receperunt formationem quoad rubricas, pauci quoad mysterium contentum et actum in liturgia.

Dialogus cum laicis, in hac re, est elementaris, etsi revera incepit.

Diversitas munerum in actione liturgica non ab omnibus intelligitur: sacerdos usque nunc omnia faciebat.

2. Ex parte fidelium:

Formatio biblica est rudimentalis et speciatim in parvis paroeciis; formatio technica ministrantium et lectorum deest et difficultates nonnullae superandae sunt.

3. Ex introductione linguae vernaculae et novi ritus:

Difficultates adsunt in aptando sanctuario.

Desideratur cantus liturgicus in lingua vernacula: sed, e contra, usus linguae vernaculae affirmat necessitatem cantus in celebratione quae fieri debet « socia exsultatione ».

IV. PROPOSITIONES

Intentio pastoralis primum locum obtineat in instauratione Liturgiae Missae, divini Officii, ita ut, speciatim, fides nutriatur et mysterium salutis annuntietur et facile percipiatur a populo simplici, et hoc sine diminutione divitiarum liturgiae, sub omni aspectu.

Tempus omnino sufficiens detur assimilandi primas dispositiones antequam proponatur alter gressus; proinde vitentur modificationes successivae, quae sensum fidelitatis etiam enervant apud sacerdotes.

Adaptatio ritus exsequiarum et Matrimonii ad diversas circumstantias; frequenter populus practice ab ecclesia seiunctus his caeremoniis adest, et est providentialis occasio annuntiandi Christum et mysterium amoris Dei.

Examine subiciatur quaestio de liturgia catechumenorum et eorum qui fere nullam vitam habuerunt in ecclesia in quam introducti sunt per Baptismum.

✠ RENATUS BOUDON
Episcopus Mimatensis

JUGOSLAVIA

I. PRAEPARATIO. — Instauratio liturgica in Jugoslavia die 7 martii 1965 inchoata, intuitu circumstantiarum in Jugoslavia vigentium, solida atque seria vocari potest.

1. Commissio nationalis liturgica omnibus locorum Ordinariis misit specimen *epistolae circularis*, a singulis Episcopis pro lubitu adhibendae vel aptandae, qua populus de instante instauratione edoceretur. De multis Episcopis positive scio eos reapse tales litteras legendas iussisse. Non est dubium quin ceteri etiam suum quisque populum rite edocuerit.

2. In octo dioecesibus facta sunt varia *experimenta* quibus sacerdotes novum Missae ritum oculis viderent antequam in usum introduceretur. Aliqui insuper Episcopi dioecesim peragraverunt, in singulis vicariatibus foraneis ritum exponentes, alii quasi synodum quandam coegerunt novum ritum explanando et monstrando. Ita vix sacerdos inveniri posset qui non bene instaurationem cognoscere quiverit.

3. Diebus a 23 ad 25 februarii Zagabriae magnus conventus habitus est sacerdotum ex omnibus fere dioecesibus, ubi iterum novus ritus adamussim expositus est atque bina celebratione ostensus.

4. « Ritus servandus in celebratione Missae » nuperrime editus statim in linguam croaticam (quam omnes in Jugoslavia norunt) est conversus, multiplicatus, sacerdotibus oblatus.

Ita tum sacerdotes tum fideles sufficienter videntur esse praeparati.

II. INSTAURATIO. — Quantum novi, in toto Jugoslaviae territorio die 7 martii applicata est. Nullibi seria oppositio nuntiatur. Paucissimi tantum fideles, aliquibus caeremoniis abolitis plus aeque inhaerentes, ostendunt se instaurationem aegre ferre.

Eorum quibus instaurationis displicet certe multo maior est numerus, sed ob disciplinam ecclesiasticam atque in Summum Pontificem devotionem instaurationem intellegere conantur.

Generaliter haec regula poni potest: ubicumque sacerdos novum ritum cum amore, zelo, prudentia accepit, ibi fideles etiam maiore cum gaudio et captu eum sequuntur.

III. DIFFICULTATES non desunt et forsitan in dies maiores fient.

1. Desunt *libri liturgici* linguis croatica et slovena exarati. Quoniam die 7 martii in toto fere territorio Jugoslaviae una cum instauratione liturgica, imo intra eius ambitum, etiam lingua nationalis in Missae sacrificio est introducta, difficultates quae ex defectu librorum oriuntur etiam in restaurationem ipsam redundant. Sacerdotes parvis fidelium Missalibus utuntur vel ex iis textum Missae sive manu sive machina transcribunt idque in Missale latinum ponunt, ne e parvo Missali litare videantur, quod Sacrificio minus dignum esse videtur.

Maiores etiam difficultates eveniunt cum Missalia croatica vel slovena imprimenda erunt. Etiam bilinguismus ab *Instructione* impositus haud parvas difficultates creabit (modus imprimendi, et, praecipue pretium!).

2. Desunt *melodiae* pro textibus in linguas vulgares conversis. Musici quidem modos musicos conficiunt, sed hi minus placent et a populo non libenter acceptantur.

Maior etiam difficultas inde oritur quod multa carmina religiosa apud populum magnam habent factionem et hucusque tempore Missae, etiam cantatae (ex indulto Congr. S. Officii), cantabantur. Tam difficile haec carmina popularia a fidelibus dimittuntur, ut melius videatur ea ad tempus tolerare, saltem quoadusque novae et aptae melodiae pro textibus liturgicis creentur.

3. Inter sacerdotes unanimis murmur auditur ob disharmoniam inter partes Missae quae lingua vernacula dicuntur vel cantantur et praefationem atque doxologiam in fine Canonis, quae latine sunt cantandae.

IV. PROPOSITIONES. — Videntur praematurae pro Jugoslavia praecisae propositiones, nisi forte ut magis magisque urgeatur impressio librorum necessariorum, confectio melodiarum pro textibus « nationalibus » et abolitio linguae latinae in praefatione et doxologia in fine Canonis.

✠ ALFREDUS PICHLER
Episcopus Banjalucensis

POLONIA

1. Commissio liturgica penes Coetum Episcoporum Poloniae versionem in lingua polona *Instructionis* ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia iam initio huius anni paravit et singulis Episcopis ad publicandam in ephemeridibus dioecesanis distribuit.

2. Die vero 27 ianuarii Coetus Episcoporum Poloniae in conferentia sua generali duas litteras pastorales tum ad sacerdotes, tum ad fideles dirigendas de mutationibus in sacra Liturgia faciendis approbavit, necnon statuit quatenam partes Liturgiae in lingua vernacula peragi possent.

3. Die 7 martii in ecclesiis Poloniae lectae sunt litterae pastorales Episcoporum ad fideles de introductione *Instructionis* ac de variationibus a prima dominica Quadragesimae introductis.

4. In omnibus dioecesibus Poloniae revera omnes mutationes rituum in sacris functionibus, in Missa praesertim, statim a die 7 martii introductae sunt. Excepta tamen oratione super oblata, ea quae in cantu proferri debent ad interim elata voce dicuntur: deest enim nobis Missale cum notis melodiarum.

5. Coetus Episcoporum Poloniae in memorata conferentia die 27 ianuarii habita admisit linguam polonam:

- a) In proferendis lectionibus, Epistola et Evangelio Missae.
- b) In distribuenda S. Communione tum infra tum extra Missam.
- c) In Sacramento Confirmationis administrando.

Amplior usus linguae polonae praevisus est, quando Missale latino-polonum ad altare aptum habebitur.

6. Paratur novum Missale latino-polonum pro usu in Missis celebrandis in Polonia et etiam pro polonis extra patriam degentibus.

Exitus primae applicationis instauratae S. Liturgiae in regione nostra est bonus omnino, licet non desunt multae confusiones. Episcopi Poloniae paulatim et per progressionem procedunt in istis variationibus liturgicis introducendis, ideoque ex parte fidelium nullae murmurationes habentur.

✠ FRANCISCUS JOP
Episcopus tit. Dauliensis

IAPONIA

Ratione brevitatis, omittuntur relationes de iis quae in periodo praeparatoria acta sunt, scilicet de formatione cleri et populi necnon de traductione textus liturgici in linguam vernaculam.

I. INCEPTA

1. *De Missa*: Mense februario huius anni Commissio liturgica iaponensis *Directorium Pastorale* de instaurazione Missae edidit quo pastoribus explicatur quomodo gradatim sed constanter instauratio liturgica de celebratione Missae introduci debeat in Iaponia.

A die 7 martii huius anni, simul cum novo Ordine Missae, inceptum etiam usum linguae iaponensis in Missa. Praeter Praefationem et Canonem, fere in omnibus partibus quae ad populum pertinent, simul cum formulis dialogi, salutationis etc. lingua iaponica adhiberi potest. Attamen pro nunc, tres orationes praesidentiales (collecta, oratio super oblata, postcommunio) dicuntur lingua latina, commentario tamen anteposito. Commissio etenim liturgica non habuit tempus parandi bonam traductionem harum orationum, quarum latinitas non parvam difficultatem praebet traductioni.

Cum omnes textus liturgici iaponenses noviter formulati sint, adhuc deficit melodia neque habetur tonus lectionis.

2. *De Sacramentis et Sacramentalibus*: iam ab anno 1958 in usu est Rituale bilingue, quo adhibito fere omnes partes, exceptis formis substantialibus et exorcismis, lingua iaponica perfici possunt. Ordinarii iaponenses pro nunc nihil immutandum esse statuerunt.

3. *De Breviario*: Abhinc paucis annis existit editio iaponensis Horarum diurnarum Breviarii romani, ad quam mense martio additae sunt partes Proprii de Tempore et Sanctorum. Pro nunc nemo putat versio-

nem etiam Matutini curandam esse, quia labor erit inutilis ratione imminentis revisionis Breviarii.

II. EXITUS. — Ut ex dictis patet, primus gressus instaurationis liturgicae in Iaponia consistit in introducenda lingua iaponica pro celebratione Missae et quidem sine cantu propter defectum melodiae. Cum iam a multis annis, in omnibus paroeciis lectiones et orationes communiter fieri solebant lingua iaponica, huiusmodi prima applicatio fidelibus non visa est quid valde mirum. Sic, primus gressus instaurationis valde favorabiliter, immo in genere cum magno gaudio, acceptus est veluti progressus ad actuosam participationem.

III. DIFFICULTATES. — Prima et maxima difficultas est transductio textus latini in linguam iaponicam. Etenim cultura iaponensis a latina valde differt; insuper structura grammaticalis omnino diversa est; amplius, terminologiae christianae in lingua iaponica non existunt; tandem complexitas linguae iaponensis magis auget difficultatem.

Secunda et aequae gravis difficultas est musica seu melodia pro cantu. In religionibus buddhista et shintoista habetur melodia traditionalis religiosa qua cantus sacri et textus sacri cantantur et recitantur. Attamen christiani talem melodiam, ut ita dicam paganam, in religionem christianam introducere nolunt, quia ipsa pertinet ad religiones quas ipsi reiecerunt, et insuper pertinet ad tempora praeterita et defuncta. Aliunde melodia occidentalis quae talis cum rythmo linguae iaponensis non consonat. Exoptanda est igitur compositio novae melodiae pro cantu liturgico. Quod tamen faciliter obtineri non potest.

IV. PROPOSITIONES. — Commissio liturgica iaponensis nunc praeparat quae sequuntur eaque durante hoc anno perficere sperat:

1. Novum Lectionarium pro diebus dominicis et festis principalibus.
2. Textus orationis fidelium.
3. Translationem orationum praesidentialium (collectae, orationis super oblata, postcommunio).
4. Quasdam melodias pro Ordinario Missae.

Manet tamen arduus labor parandi bonam versionem Psalmorum ad cantum aptam. Qui labor perdurabit adhuc per aliquot annos.

✠ LAURENTIUS NAGAE
Episcopus Urawaënsis

INDIA

1. The « Consilium » granted permission to the Catholic Bishops' Conference of India to introduce the vernacular by its decree dated 10th July 1964, Prot. N. 1312/64. This was in reply to the petition made by the C. B. C. I. on the 10th June 1964.

2. Making use of this concession several bishops introduced the vernacular in their dioceses, following approved texts for the Proper and Ordinary of the Mass. Subsequently, some other petitions were made with regard to vernacular texts which had not been included in the original petition. These petitions were all granted by Rome and are being made use of.

3. In Bombay we introduced the vernacular (English) for the Ordinary of the Mass and the Scripture Readings only from the 15th August 1964. That was the first step. The second step was taken on the 25th of October, 1964, Feast of Christ the King, when we extended the concession of the vernacular also to the Proper of the Mass.

4. In view of the 38th International Eucharistic Congress, we had prepared a special Liturgy, taking into consideration changes that were to come according to the *Instructio* to be issued by the Holy See. The Consilium very kindly allowed us to anticipate the application of the *Instructio*, which we did beginning from the 1st November 1964, introducing into the Mass most of the changes that were to come into force some months later for the universal Church.

5. Though we have permission from Rome to use the vernacular also at High Mass, we are not making use of it, except for Scripture Readings and the Oratio fidelium, because we do not as yet have proper melodies for the vernacular texts.

6. From 11th October 1964 we introduced Konkani in the Mass. The third vernacular of the Diocese, viz., Marathi, has not yet been introduced, because the text is not yet ready. It is expected to be out very soon.

7. Before all these reforms were introduced, already last year we had a series of sermons preached in the churches to prepare the people for these changes. Meetings of priests as well as a seminar for lay leaders, were arranged.

8. The people seemed to have taken to these changes quite willingly and well. As far as I can see there has been no opposition to these changes.

9. The difficulty here, at least in some of our parishes, is that we have bi-lingual and in some cases tri-lingual congregations. It is sometimes possible to have certain Masses in one language and other Masses in another language. Another difficulty is that a good many of our people do not know to read, and therefore full participation by the entire congregation is not easily obtainable in parishes where such a congregation worships. But that is not a difficulty from a liturgical point of view.

10. If I am to judge things, I think there is enthusiasm on the part of both the clergy and the laity with regard to the liturgical changes. Recently, namely on the 25th of March 1965, we had a Seminar for priests on the reformed Mass, and judging by the reaction of the large number of priests present, one could not fail to notice that there was genuine interest and desire to learn on the part of the priests.

11. With regard to the Ritual and the administration of the Sacraments, we have not introduced any changes whatsoever, so that the status quo remains as before. However, as you may be aware, we in India have already had permission for several years now for the use of the Ritual in the vernacular. There are Rituals in the vernacular in several languages duly approved by Rome. We are continuing to make use of these even now. In none of these, as far as I am aware, is the *forma* of the Sacrament in the vernacular.

✠ VALERIAN Card. GRACIAS
Archbishop of Bombay

CONGUS-LEOPOLDPOLITANUS

Je me permets de vous transmettre quelques réflexions que j'ai pu recueillir dans mon archidiocèse au sujet du renouveau liturgique. Vu les grandes distances et le peu de temps que nous avons, nous n'avons pas pu rassembler les commentaires au plan national.

I. RÉSULTATS. — Le renouveau liturgique a été partout très bien accueilli. Car, dans l'archidiocèse, dans toutes les églises, nous avons bien préparé les fidèles par quatre sermons expliquant l'esprit du renouveau liturgique et de l'*Instruction* du 26 septembre. Ainsi les changements ont été bien accueillis. Les quelques oppositions viennent des anciens séminaristes habitués à chanter toujours le Proprium en latin.

II. INITIATIVES. — La commission liturgique diocésaine a bien travaillé. Par plusieurs équipes, nous avons réalisé plusieurs traductions en langue Lingala, traductions bien réussies et bien appréciées par nos chrétiens.

Les chants adaptés à chaque fonction liturgique et au temps liturgique. Nous avons même une traduction et mélodie pour l'*Exsultet* en langue vivante.

Il y a des mélodies de la messe chantée ad experimentum en langue vivante.

Dans plusieurs églises on essaie de réaliser des adaptations du sanctuaire selon les fonctions liturgiques. Ainsi le clergé se fait un honneur d'avoir un ambon qui soit vraiment un lieu de culte de la Parole de Dieu.

Nous avons fait aussi un directoire national des messes.

✠ JOSEPH MALULA
Archev. de Léopoldville

BRASILIA

Primum inceptum ad instaurationem parandam, convocatio fuit coetus plenarii Conferentiae Nationalis Episcoporum Brasiliae (C. N. B. B.) ad iura exercenda de usu linguae vernaculae in partibus Missae quae hoc patiantur, et in Sacramentis et Sacramentalibus administrandis. Quae omnia probata sunt, non exceptis popularibus interpretationibus iam existentibus de Missali romano et Psalmis, eaque « Consilium » postea confirmavit.

Omnes dein dioeceses, Commissionibus Liturgiae, Musicae et Artis sacrae constitutis, lacta alacritate vires impenderunt in principia et praxim pastorem Constitutionis de S. Liturgia diffundenda. Methodus haec est laborum ut principia explanentur in praelectionibus clero factis per sessiones triduanas vel hebdomadarias, in quibus et quaestiones practicae ex nova disciplina exortae explorantur. Nonnullae dioeceses, populo in Liturgia formando consulentes, actus aut praelectiones per tridua vel hebdomadas, quas liturgicas vocant, peregerunt. Ad praxim promovendam, non pauci nisus facti sunt ut quisque, in celebrationibus liturgicis, munere suo fungi possit. Lectores instituuntur ad sacras lectiones legendas, scholae cantorum reformantur, commentatores sui muneris legibus imbuuntur. Ad subsidia his omnibus paranda, fasciculi periodici eduntur, qui commentaria exegetica, auxilia homiletica et monitiones, per cyclos liturgicos, complectuntur.

Magni momenti in mente pastorali reformanda fuit coetus, a Commissione Episcopali in urbe Fluminensi, mense iulio coactus, eorum fere omnium qui negotia pastoralia in variis « Regionibus » nostris sustinent, ut, rerum statum et experimenta et desiderata conferentes, de Pastoralis liturgica instruerentur, maxime vero ad recognoscendam rationem pastorem de Synaxi eucharistica. Coetus prosperum habuit successum, vincula solidavit ad unitatem apostolatus liturgici in Brasilia promovendam. Volumen 210 paginarum, qui « Pastoral da Assembléia Litúrgica » inscribitur, a Secretariatu nostro editum, horum laborum et conclusionum testis, quantum in commune conduxit, documentum est.

Conventus Episcoporum, suffragio fere unanimi, Institutum Liturgiae Pastoralis condi iussit, institutioni liturgicae cleri destinatum et ut Commissioni Episcopali consilio et adiumento sit in studiis et theologia investigatione atque necessariis experimentis provchendis.

Secundum novam disciplinam qua linguae vernaculae amplior locus tribui valet in liturgia, conamina non defuerunt ut textuum liturgicorum populares interpretationes novis et aptis melodiis ornentur. Quaedam edita sunt cantuum collectiones et ii, quos discos vocant, orbes phonographici, sonis asservandis parati, musica consignati ad partes populi canendas in Hebdomada Sancta et aliis annuis celebrationibus.

Coetus constituti sunt ad novas partes in linguam vernaculam verendas, scilicet textus Sacramentorum et Sacramentalium, quorum versiones iam a Coetu nostro approbatae sunt et nunc exspectant confirmationem « Consilii ». Parantur versiones rituum Dedicationis Ecclesiae et Altarium, et aliarum Benedictionum, et interpretatio lectionum et antiphonarum et cantuum Missalis romani.

Licet ergo asserere instaurationem liturgicam exitu bono inchoasse in Brasilia. Quod certo quis metiri valet ex summa populi ubivis alacritate ob usum linguae vivae et actuosam participationem suam in celebrationibus, et quandam clariorem rituum intelligentiam. Non parum eo conduxit quod altaria ubivis a pariete remonentur ut versus populum Missa celebretur, et quod liturgia verbi, cuius virtus tantum ex usu vernaculi augetur novum capiat momentum ex loci distinctione ubi celebratur.

Commemorandum est quod non paucae dioeceses Directorium proprium paraverunt celebrationis eucharisticae. Quae omnia aestimanda sunt experimenta communi Directorio futuro praevia.

Difficultates multae non desunt, quae offensionem afferunt Liturgiae in Brasilia instaurandae. Magnitudo terrae quarum regiones ingentibus spatiis inter se distant, quin faciles sint semper inter eas commeatus. Vis habitudinis instaurationi multum officit. Inopia saepe geminus facultatum et ministrorum. Quae omnia moram inferunt et impedimentum ne citius palam fiat et consolidetur reformatio liturgica. Ut unum exemplum proponam, Institutum Liturgiae Pastoralis res tantae molis et momenti, hactenus ad effectum non potuit adduci, inopiae causa tam nummorum quam, maxime, magistrorum qui ab aliis curis expediti, dignissimam curam et officium possint complere docendi, cogitandi, edendi, consilium afferendi.

Hic liceat etiam subtiliorem quaestionem, breviter saltem tangere. Tristissima res est quod liturgia catholica infimis populi partibus parum videtur significare, quasi non esset eis praecipue destinata.

Non pauci pastores magna exspectatione rogant ut gradatim amplior

in dies permittatur adaptatio Liturgiae ingenio populi nostri, ratione habita respectuque eorum quae suum cultum efformant et constituunt.

Instauratio incepta, etsi res est multae operae et laboris, paulatim confirmatur et novas metas cursu studet contingere. Crebra fiunt Episcoporum vota ut amplior adhuc fiat facultas lingua vernacula utendi in Missae celebratione, ut in praefatione et in doxologia in fine Canonis. Quae omnia principium sunt profundioris instaurationis quam omnes volunt ad finem pervenire.

✠ CLEMENS ISNARD

Episcopus Neo-Friburgensis

CANADIA

Regio canadensis est status foederativus ex decem provinciis constans. Duae linguae vernaculae usurpantur, scilicet lingua gallica praecipue in provincia civili Quebecensi et lingua anglica in novem aliis provinciis. Unicus adest Coetus Episcoporum. Duae sunt Commissiones liturgicae, una pro lingua anglica et una pro lingua gallica. Omnes commissiones episcopales sunt ita geminatae. Coordinatio fit per secretarios.

Tria decreta promulgata fuerunt a Coetu plenario Episcopatus canadensis et confirmata a « Consilio », scilicet:

1. Circa usum linguae vernaculae (gallicae et anglicae) in lectionibus.

2. Circa usum linguae vernaculae in celebratione Missae et in ritibus Sacramentorum (Baptismo, Confirmatione, Paenitentia, Unctione infirmorum et Matrimonio), exsequiarum et in benedictionibus quae continentur in Rituali.

3. Circa usum linguae vernaculae in ritibus Hebdomadae sanctae, in benedictionibus cereorum (2 februarii), cinerum, processionibus rogationum, in benedictione SS. Sacramenti et in celebratione 40 horarum.

Haec decreta applicata sunt a die 7 martii huius anni.

I. INCEPTA

1. *Sessio nationalis.*

Durante mense ianuario, sessio nationalis adunata est a Commissione Episcopali pro omnibus membris commissionum liturgicarum dioecesanarum, ad coordinationem laboris instaurationis et ad praeparandas sessiones dioecesanarum. In omnibus dioecesibus canadensibus sessiones liturgicae habitae sunt ad quas attenderunt sacerdotes saeculares et regulares. Commissio episcopalis misit peritos in rebus liturgicis in unamquamque dioecesim ad dirigendam sessionem. In multis dioecesibus fuerunt sessiones pro laicis.

2. Commissio episcopalis divulgavit volumen cuius titulus est « La Réforme liturgique » (15.000 exemplaria in lingua gallica et 10.000 in lingua anglica), in qua continentur omnia documenta Concilii Oecumenici Vaticani II, Apostolicae Sedis, « Consilii » et Episcopatus canadensis circa renovationem liturgicam.

3. Commissio episcopalis publicat periodicum « Bulletin de la Commission Nationale de Liturgie ». Quartus numerus iam divulgatus est (15.000 ex. in lingua gallica et 15.000 in anglica); primus continens decisiones circa renovationem, secundus cantus e « Cantus qui desiderantur ... », tertius continens Ordinem Missae (in lingua gallica et anglica), quartus continens ritum concelebrationis et communionis sub utraque specie.

4. Editio Ritualis Matrimonii.

5. Editio Ritualis Sacramentorum.

Pro celebratione Missae sacerdotes utuntur Missali romano a commissione liturgica Galliae edito et *Roman Missal* (Benziger Brothers, New York, 1964) pro iis, qui lingua anglica utuntur.

II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS

Die 7 martii transitus factus est ad usum linguae vernaculae (anglicae et gallicae) in celebratione Missae. Die 1 aprilis in usu venit Rituale Matrimonii. Die 1 maii, lingua vernacula introducetur in ritibus Sacramentorum.

Quoad celebrationem Missae nulla difficultas exorta est e mutatione

linguae liturgicae. 98% paroeciarum lingua vernacula utuntur. Regulariter coetus fidelium acclamationes participat. In multis paroeciis Ordinarium Missae a fidelibus canitur. Nulla oppositio systematica ad applicationem reformationis liturgicae. In televisione, radiophonia et ephemeridibus, multi laici laudaverunt usum linguae vernaculae in Missa.

III. DIFFICULTATES

1. Problema musicae sacrae valde complexum est.

2. Textus officiales « Consilii » nimis tarde divulgantur (ut evenit de Missa chrismali), ita ut vix adsit tempus publicandi decreta. Multi Episcopi canadenses desiderant quod decreta mittantur ad Commissionem nationalem antequam publici iuris fiant in Urbe, cum maxima confusio oriatur ex nuntiis divulgatis a diurnariis (*journalistes*) ut evenit de ritu Communionis sub utraque specie et de dispensatione abstinentiae in festo S. Ioseph.

3. Plures sacerdotes aliquam difficultatem habent cum praefatione, dum acclamationes et *Sanctus* lingua vernacula canuntur et praefatio profertur lingua latina.

IV. PROPOSITIONES

1. Sessio nationalis pro membris commissionum dioecesanarum liturgicarum, durante mense iunio.

2. Sessio nationalis publica pro sacerdotibus, religiosis et laicis, proximo mense septembri.

✠ ALBERTUS MARTIN
Episcopus Nicoletanus

CIVITATES FOEDERATAE AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS

I. BEGINNINGS. — The introduction of vernacular in the Liturgy on November 29, 1964 and the full implementation of the *Instruction* on March 7, 1965, as well as subsequent directives have been effected with remarkable ease in the United States of America. This is due in great part to the solid liturgical foundation among our people fostered over many years by the National Liturgical Conference and the Bishops

Commission on the Liturgical apostolate. National and Regional Conferences on Liturgy, as well as diocesan and parish programs of instruction have developed a genuine sense of liturgy and a desire for its renewal and more meaningful expression. If anything was to be noted, it was the growing impatience of our people to make a beginning in the use of the vernacular and in liturgical renewal prior to November 29, 1965.

II. FIRST RESULTS. — It is too early to offer anything but a superficial impression of the results of liturgical renewal to date. However, it should be emphasized that the introduction of vernacular and the celebration of Mass "versus populum" have been received enthusiastically. Very many pastors report an evidently increased awareness of our unity in and through the Eucharist resulting from these developments. There is surely a noticeable growth in our people's appreciation of their role in the Church through the liturgy.

III. DIFFICULTIES. — It would seem accurate to say that no significant difficulties were encountered on these first steps in liturgical renewal within the United States. Where, in individual instances, difficulties were encountered, they could almost invariably be traced to a lack of preparation and understanding.

IV. PROPOSALS FOR ADDITIONAL MEASURES. — Among the most pressing requirements in the near future is that of relating the role of the Faithful more clearly to the Sacred Action of the Mass. I believe that a significant move in this direction could be made by permitting the Preface to be proclaimed in the vernacular.

If this report seems enthusiastic and optimistic, it is because our people have received the liturgical renewal with enthusiasm and look forward to continued liturgical evolution with optimism.

✠ JOSEPH Cardinal RITTER
Archbishop of St. Louis

COLUMBIA

I. REALIZACIONES

1. *Clero.*

Se han aprovechado los ejercicios espirituales y conferencias (casos) para formar al clero en cuestiones litúrgicas, especialmente en el estudio de la Constitución y de la Instrucción.

Se ha tratado de facilitar la formación personal mediante cursillos, publicaciones y celebraciones de acuerdo con las nuevas normas. Además se les ha proporcionado alguna bibliografía.

Se han constituido comisiones de liturgia diocesanas e interdiocesanas para promover la renovación.

Se han enviado algunos sacerdotes a especializarse en cuestiones litúrgicas a Europa.

Los seminaristas han prestado su colaboración en las parroquias.

2. *Fieles.*

Se han tenido cursillos en plano parroquial y vicarial para maestros, religiosos, catequistas. Se han tenido cursos para comentadores y elaborado los respectivos comentarios y esquemas con oraciones de los fieles en plano diocesano.

Se ha procurado la instrucción de los fieles mediante adecuadas catequesis, celebraciones de la palabra, adaptación de los templos según las exigencias actuales y facilitando les publicaciones a su alcance; se les ha logrado crear una buena inquietud litúrgica.

Progresivamente se han puesto en práctica las distintas reformas.

II. EXITOS

Con todo lo que hasta ahora se ha hecho en la reforma litúrgica se ha notado como frutos: mayor entusiasmo, comprensión, participación, asistencia, y atención a la misa y celebraciones de los Sacramentos.

Se ha despertado gran interés por la liturgia de la palabra y una mayor conciencia de la comunidad cristiana.

Se nota una piedad más sólida y depurada, en especial las reformas de la Semana Santa han despertado gran interés y han sido más vividas.

Se ha logrado la sonorización y reforma de gran número de iglesias de acuerdo con las exigencias de la celebración actual.

Además se nota mayor interés por la Sagrada Escritura.

III. DIFICULTADES

Falta de preparación en los sacerdotes en materia litúrgica y la consiguiente repercusión en los fieles que adolecen de un cierto desconocimiento e iniciación a la lectura de la biblia.

Falta a los sacerdotes tiempo para hacer a los fieles las correspondientes catequesis que les permitirán comprender mejor la renovación litúrgica.

En muchos la mentalidad no estaba suficientemente preparada y por ello han mirado la renovación litúrgica con un criterio jurídico y legalista, pero no pastoral; a lo que se añade un tradicionalismo exagerado y prevención contra lo nuevo por parte de algunos.

En cuanto a los textos litúrgicos, algunas traducciones no gustan y no existen textos definidos, lo cual crea un poco de desconcierto v. gr. leccionarios, graduales, etc.

Respecto a los templos se han encontrado dificultades, el altar arquitectónico y acústico, en especial la colocación del sagrado ha presentado bastante dificultad en iglesias construidas con prespectivas distintas a la función actual de las mismas.

En relación con los fieles por parte de algunos se ha notado desconciertos considerablemente, que nos están cambiando la religión y por parte de otros algo de respecto humano, siendo esta causa la excepción.

✠ TULLIO BOTERO SALAZAR
Arzobispo de Medellín

TRINIDAD ET TOBAGO INSULAE

1. Exitus primae applicationis instaurationis liturgicae in Missis lectis ac in ritibus specialibus Tridui Sancti optimus fuit.

Omnes partes Missae pro quibus habemus licentiam dicuntur anglica lingua.

Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Matrimonii et Unctionis administrantur lingua anglica.

Eo quod multi sacerdotes pertinent ad Ordinem Praedicatorum, qui propria forma absolutionis utuntur in Sacramento Paenitentiae non possumus adhibere linguam anglicam in isto Sacramento.

2. Unica difficultas exoritur ex magna diversitate Missalium popularium et ex pessimis traductionibus textuum.

3. Desiderandum quod tota prima pars Missae, i. e. liturgia verbi, praefatione inclusa, sit lingua vernacula; quod sacerdotibus ita volentibus facultas sit recitandi omnes textus Missae (Canone excepto) lingua vernacula; quod doxologia « Per Ipsum » sit lingua vernacula; quod benedictio finalis Missae antecedit « Ite, missa est »; quod pro omnibus gentibus utentibus lingua anglica sit unus textus Missalis typicus.

✠ FINBAR RYAN

Archiepiscopus Portus Hispaniae

VENETIOLA

Ante omnia sincere dicere debeo omnes venetiolenses Episcopos ex corde gratias Deo agere propter felicissimum exitum instaurationis liturgicae.

I. Iam vero de INCEPTIS instaurationis parandae haec mihi notare liceat:

1. Omnes Ordinarii vix Roma regressi, principia et normas dedimus quibus sacerdotes et fideles imbuti sunt de spiritu ac doctrina *Instructionis*, de extensione usus linguae vernaculae etc. ... Plerique has notitias pastoralibus litteris fidelibus communicaverunt.

2. A mense ianuario per 3, 4 vel 5 dies cursus breves liturgiae theoriae et practicae pro sacerdotibus, religiosis et fidelibus initium sumpserunt.

3. Electis diebus experimenta facta sunt in principalioribus ecclesiis, seminariis ad instructionem sacerdotum et fidelium.

4. Commissiones liturgicae dioecesanae creatae sunt et actuosae redduntur.

5. Variae dioeceses creant « notitias » et folia liturgiae menstrua.

6. Non pauci parochi quotidie cum fidelibus actuationem instaurationis accurate paraverunt.

II. EXITUS. — Laeto animo in tota Republica felicissimum illum proclamo:

1. Dominica 7 martii in omnibus dioecesibus initium sumpserunt normae novae *Instructionis* et usus concessus linguae vernaculae. In aliquibus dioecesibus (Caracensi, Valentina ...) magna cum sollemnitate, scilicet Episcopi ritu pontificali, Sacrum primum peregerunt.

2. Publica opinio ope ephemeridum et aliis mediis communicationis socialis valde favorabilis fuit.

3. In genere fideles se ut conscientes actores vitae liturgicae sentiunt. Qui Missis intersunt notabiliter aucti sunt. Sensim spiritus liturgicus, sensus communis ecclesialis, et affectus pro vita liturgica creantur.

III. DIFFICULTATES:

1. Non omnes sacerdotes novam mentalitatem liturgicam placido animo salutant, nec valido nisu iuvant. Immo, experientia teste, responsio favorabilis pastoris aequalem inter fideles suscitatur.

2. Partes fidelium non paucis arctae et breves videntur.

3. Lectiones ex Sacra Scriptura desumptae non sunt accommodatae aliquoties ad captum et instructionem audientium.

4. Adhuc desunt commodi libri liturgici.

IV. PROPOSITIONES:

1. Omnes Episcopi conamur sacerdotes praeparare ut promotores renovationis liturgicae sint.

2. Proximo mense augusto Caracis locum habebit intensivus cursus liturgicus concreditus ad « equipo itinerante del CELAM ».

3. Diversimode (conferentiae, publicationes, « vigiliis biblicas ») sacerdotibus et fidelibus novus spiritus traditur.

4. Reverenter « Consilio » expono convenientiam ut competens auctoritas in Ordine Missae reformando statuatur ut antequam oratio vel lectio proferatur a celebrante vel ministro indicetur breviter intentio vel sensus lectionis.

✠ IOSEPH ALÍ LEBRÚN
Episcopus Valentinus

AUSTRALIA

I. INCEPTA

Anno 1963 Conferentia Episcoporum Australiana nationalem episcopalem Commissionem de sacra liturgia sex membris constantem constituit.

Anno 1964 mense februario Conferentia Australiana iterum convenit ut de Constitutione de sacra Liturgia implenda statueret. Huic coetui episcopalis Commissio de sacra Liturgia elenchum propositionum protulit. Quibus rite ordineque perpensis ac disceptatis, Conferentia non tantum de rebus quae confirmationem seu approbationem Sanctae Sedis requirunt, sed etiam de iis pro quibus indultum Sanctae Sedis necessarium est, suffragio secreto sententiam dedit.

In genere Conferentia statuit ut lingua vernacula, id est anglica, in omnibus partibus Missae, praefatione inclusa, alta voce recitandis, introduceretur; in Sacramentis autem et Sacramentalibus lingua anglica totaliter adhiberetur.

Acta Conferentiae ad « Consilium » Romam missa sunt. Haec rite approbata et indulta sub quibusdam conditionibus et limitibus concessa sunt, e. g. Praefatio lingua vernacula non est concessa et petatum est ut quaedam proposita non implerentur donec Consilium *Instructionem* officialem edidisset.

Quo responso a Sancta Sede accepto, convenit rursus Conferentia quae deinde statuit adimplerem iuxta terminos rescripti Romani inire. Auctoritate Conferentiae libellus, textum anglicum approbatum Ordinarii Missae continens, pro tota Australia constantem et aequalem

editus est. Item Collectio Rituum uti ab archiepiscopo Birminghamiensi anglice reddita et pro usu in Australia approbata vim habere statuta est.

Versio Officii divini, uti a monachis Ordinis Sancti Benedicti de abbazia Sancti Ioannis apud Collegeville, Minnesota, in America Septentrionali, anglice confecta et edita, textus anglicus approbatus pro iis clericis, quibus facultas divinum Officium anglice recitandi concederetur, declarata est.

Statim pleraeque dioeceses plenam et completam instaurationem ad modum responsi romani implere inierunt. Ad quem finem cursus sermonum, conferentiae clericorum, scripta in foliis et periodicis catholicis, litterae pastorales, programmata radiotelevisifica et radiophonica ad clericorum, religiosorum et laicorum instructionem prolata sunt.

Conferentia coetum in re musica peritorum ad modos textibus anglicis idoneos componendos constituit. Hic coetus quinque sacerdotibus duobusque laicis constat. Secretarius est Rev. P. Jones, Dr. Musicae Sacrae, unus e Consultoribus Consilii. Hic coetus modos Ordinario Missae, Propriis cuiusque dominicae per annum et ritibus Hebdomadae sanctae idoneos iam paravit.

Episcopi congruerunt etiam modos pro partibus fidelium huic coetui semper submittendos esse, et nullum episcopum individuum tales modo approbaturum esse, nisi et hic coetus et episcopalis Commissio de sacra Liturgia prius approbavissent.

II. EXITUS

1. *De Missa.* — Maxima pars sacerdotum, religiosorum et laicorum instauratione et mutationibus ardentem gavisa est; alii instaurationi faverunt; alii eam aequo animo acceperunt; aliis, sed numero paucissimis, displicuit. In genere, ibi responsum intelligens et ardens fuit ubi in propriis dioecesibus clerici, religiosi et laici secundum Litterarum Encyclicarum «Mystici Corporis» et «Mediator Dei» et *Instructionis* de Musica Sacra anni 1958, doctrinam et disciplinam gradatim praeparati erant.

In Australia nullae fuerunt factiones adversae similes illis, uti fama fert, in aliis regionibus et terris. In toto, mutatio suaviter et sine furore evenit.

Insigne est clericos, religiosos et laicos aetatis provectoris generatim instaurationem et mutationes prompte accepisse. A clericis senescentibus frequenter dicitur se maxime dolere quia instauratio tam diu

prolata sub fine presbyterii sui eluxerit. Non paucae partes acatholicae in matrimoniis mixtis, quae olim partes catholicas ad Missam tantum interdum comitabantur, die dominica iam regulariter eunt, quia, uti dicunt, ritum nunc intelligunt. Iam evenit nonnullas tales partes acatholicas in Ecclesiam recipi petiisse quia ipsae Missam nunc intelligere possunt.

Ad Conferentiam Episcoporum, die 21-24 aprilis 1965, omnes Episcopi, instaurationis in dioecesibus individuus iam actu experti, valde gaudebant. Quidam Episcopi, in initio, in instauratione implenda tardi et restringentes, iam agere incipiunt. Iam reperiunt enim sacerdotes et laicos proprios, ad mutationes in aliis dioecesibus sequendum, morae impatientes fieri.

2. *De Rituali.* — Novum Rituale, anglice versum, omnibus, nullo excepto, placet. Valorem textus anglici praesertim in ritibus Matrimonii et funeris, quibus multi acatholici honoris et amicitiae causa intersunt, iam experti sumus. Morientes ob linguae vernaculae usum in Sacramento seu Unctione infirmorum gratias profundas saepe egerunt.

3. *De divino Officio.* — Permulti sacerdotes et multi Episcopi, divinum Officium anglice recitant. Sacerdotes sunt gratissimi animi propter hanc facultatem, et Deo et Concilio gratias agunt. Ubique in Australia sacerdotes de Officio divino, de psalmis et lectionibus, modo in historia Nationis usque nunc inaudito, disserentes nunc audiuntur. Sacerdotes aetatis provectionis frequenter dicunt quantum cupiunt se hanc facultatem per priores quadraginta et etiam quinquaginta annos presbyterii sui habuisse. Praeterea, sacerdotes cognitionem et amorem psal-morum laicis communicant, quod antea raro factum fuit.

III. DIFFICULTATES

Difficultates, quae ortae sunt, eluxerunt imprimis in aliquibus locis, in quibus per paucos annos praeteritos, clerici, religiosi et laici de doctrina et principiis, quae fundamenta instaurationis liturgicae sunt, nec instructi nec formati erant. Quaedam seminaria hoc modo peccaverunt in quantum documentis officialibus Sanctae Sedis de hac re non diligenter prompteque obsecuta sunt.

Aliae difficultates e praesenti structura Missae oriuntur. Hi defectus in lingua latina iam aderant; nunc autem, post linguae vernaculae usum,

etiam laico vulgari palam clara facta sunt; e. g. quidam e textibus (brevibus) pro Introitu, Graduali et Communione.

Cum aliqui inter sacerdotes vero sensu perceptioneque liturgica careant, adhuc non intelligunt se universo coetui fidelium praesidere et in nomine eius agere. Exinde, evenit eos tranquillitate idonea, voce accommodata et ceteris non uti.

Est querela universalis quia Praefatio in lingua vernacula adhuc non permittitur. Omnes de incongruitate linguae latinae in Praefatione conscii sunt.

IV. PROPOSITIONES

Conferentia Episcoporum, in cursu congressus ultimi, propositum Episcopalis Commissionis de sacra Liturgia approbavit, scilicet ut coetus peritorum in literatura anglica ad omnia in lingua anglica versa perpendenda et approbanda institueretur.

Conferentia consensit in opere coetus internationalis, ut uniformis textus anglicus obtineatur quando instauratio definitiva librorum liturgicorum perficiatur. Conferentia etiam consensit aequam pecuniae summam solvere ita ut operi secretariatus et peritorum de liturgia, historia, musica, literatura anglica, sacra Scriptura provideretur.

Episcopi, in Coetu nuper habito, auctoritatem Nationali Episcopali Commissioni de sacra Liturgia agendi secundum articulum 44 *Constitutionis* praevisae, formaliter delegavit.

✠ GUILFORD YOUNG
Archiepiscopus Hobartensis

Documentorum explanatio

DUBIA

Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».

AD INSTRUCTIONEM

Ad nn. 15 et 18:

1. Utrum expressio art. 15 *Instructionis*: « omnibus qui in domo sunt participantibus » relate ad Missam principalem in die dominica in seminariis et studiorum domibus religiosis, intellegenda sit etiam de moderatoribus et magistris, qui tempore huius Missae in seminario vel domo formationis religiosa manent?

Resp.: Affirmative. Si moderatores sunt sacerdotes et si, secundum eundem articulum *Instructionis*, fit concelebratio, convenit ut in hac Missa concelebrent.

Ad n. 36 b:

2. Utrum liceat aspersionem aquae benedictae facere per modum unius pro omnibus in presbyterio praesentibus, sicut fit pro incensatione iuxta *Instructionem* n. 36, b?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 48:

3. Utrum in Missa *lecta* una alterave pars Ordinarii (*Kyrie, Gloria*, etc.) aut Proprii (e. g. Graduale, antiphona ad Communionem) cantari possit?

Resp.: Affirmative.

Ad nn. 53-55:

4. Utrum sit contra spiritum *Constitutionis*, n. 52, ut, loco homiliae, catechetica instructio fidelibus praebetur?

Resp.: *Instructio* art. 52 *Constitutionis* declarat, eo sensu ut, si schemata praedicationis intra Missam habendae a competenti auctoritate disponuntur, praedicatio ipsa ita ordinari debet ut intimus nexus servetur cum praecipuis saltem temporibus et festis anni liturgici seu cum mysterio Redemptionis.

Ad n. 60:

5. Cur duobus tantum diebus licet fidelibus bis ad sanctam Communionem accedere?

Resp.: Firma lege generali de unica Communionem singulis diebus concessa, Ecclesia, principio innixa de pleniore participatione per Eucharistiae susceptionem in sacris celebrationibus, iis diebus, in quibus duo officia liturgica, inter se omnino distincta, pro universa communitate celebrat, facultatem dat bis communicandi fidelibus qui utramque celebrationem participant. Quam facultatem ad omnes dies non extendit cum plures celebrationes tunc sint tantummodo iteratio eiusdem celebrationis in favorem fidelium qui unicae celebrationi interesse non possent. Breviter: cum unum celebratur Officium, etsi iteratum, unica conceditur accessio ad sacram mensam; cum duplex celebratur Officium, duplex conceditur Communio.

Ad n. 74 a:

6. Quinam sit contentus brevis admonitionis in initio ritus Matrimonii, secundum Litt. Apost. *Sacram Liturgiam*, n. V et *Instructionem* n. 74, a habendae?

Resp.: In celebratione Matrimonii sine Missa, brevis admonitio, paucis tantum verbis facienda, revocet attentionem praesentium ad ea, quae postea fient. Haec admonitio etiam a commentatore bene fieri potest.

Ad n. 91:

7. Utrum liceat altare in medio ecclesiae exstruere, ut Missa semper celebretur versus populum?

Resp.: Instructio non loquitur de « centro mathematico » ecclesiae, sed tantum de « centro ideali », uti dicitur, « quo totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur » (n. 91).

8. Utrum liceat, donec ecclesia opportune reficiatur, collocare altare portatile, forma simplicis mensae, ante altare maius fixum ex marmore pretioso confectum, ut adhibeatur pro celebratione Missae versus populum?

Resp.: Affirmative, dummodo *a)* spatium vere notabile inter utrumque altare intercedat; *b)* optandum vero est ut altare portatile extra sanctuarium ponatur, quo autem in casu, circa se habeat spatium sufficiens ad modum presbyterii, ab aula ecclesiae opportune distinctum.

Ad n. 92:

9. Aliqui sacerdotes putant optimum locum pro celebrante et ministris esse retro, in abside; sed ne altare illos celet, dicunt sedem debere esse in alto positam, saltem tribus gradibus, ut populus eos videre possit et appareat celebrantem vere praeesse. Potestne haec opinio sustineri, praesertim si in ipsa abside ponatur thronus ad exponendam SS.mam Eucharistiam?

Resp.: Ad primam partem, affirmative, iuxta *Instructionem* n. 92.

Ad alteram partem: si in abside exstat tabernaculum, vel ponitur thronus ad exponendam SS.mam Eucharistiam, sedes praesidentialis ponatur, parumper elevata, ad latus altaris.

Ad n. 95:

10. Cum celebratur Missa in altari, posito inter altare maius et populum, potestne asservari SS.ma Eucharistia in altari maiore, etsi celebrans terga vertat SS.mae Eucharistiae?

Resp.: Affirmative, dummodo *a)* spatium vere notabile inter utrumque altare intercedat; *b)* tabernaculum in altari maiore sit tali altitudine collocatum, ut caput celebrantis, qui stat ad pedes altaris intermedi, superet.

11. Utrum tabernaculum in latere sinistro altaris versus populum poni possit et in alio latere crux vel liber sacrae Scripturae?

Resp.: Negative. Attendendum est potius ad art. 95 *Instructionis*, secundum quem « in casibus peculiaribus *ab Ordinario loci probandis* »

tabernaculum poni potest « etiam in alia ecclesiae parte vere pernobili et rite ornata », v. gr. in dextera parte sanctuarii, aut in abside.

AD RITUM SERVANDUM IN CELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 22:

12. Utrum omitti possint preces ad gradus altaris, quando Laudes, recitatae a communitate choro non adstricta, Missam immediate praecedunt?

Resp.: Affirmative, si hanc Missam immediate subsequentem tota communitas participat. Negative, si post Laudes singuli sacerdotes eiusdem communitatis Missam privatim in altaribus minoribus celebrant.

13. Utrum preces ad gradus altaris faciendae omitti possint secundum n. 22 *Ritus servandi*, quando immediate ante Missam ad altare celebrationis, in quo habetur tabernaculum SS.mi Sacramenti, distribuitur sancta Communio? Nam in ritu distributionis iam habetur *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, quae secus repeti deberent.

Resp.: Negative. Sunt duae actiones liturgicae omnino distinctae.

Ad n. 23:

14. Utrum ad *Gloria Patri*, quando in Missa occurrit, adhuc caput sit inclinandum?

Resp.: Affirmative, iuxta principia generalia.

15. Utrum antiphona ad introitum, post *Gloria Patri* repetenda, omitti possit, quia repetitiones secundum art. 34 *Constitutionis* sunt vitandae?

Resp.: Repetitio antiphonae ad introitum sequitur ex ipsa natura antiphonae; ideoque non est numeranda inter « repetitiones inutiles », de quibus art. 34 *Constitutionis*.

Ad nn. 41 et 44:

16. Utrum in Missa cum participatione mulierum tantum (e. g. in domibus religiosarum) mulier, rite edocta, munus lectoris possit assumere?

Resp.: Negative. Munus lectoris est munus liturgicum, quod solis viris committitur. Proinde Epistola legatur a celebrante.

Ad n. 50:

17. Utrum celebrans, inchoando *Credo*, adhuc manus extendere debeat?

Resp.: Negative. Verba hunc gestum significantia, ex errore materiali in prima editione *Ordinis Missae* irrepserunt. Postea dempta sunt: nam in *Ritu servando* non inveniuntur.

18. Utrum *Credo* solummodo ad sedem vel ad altare inchoare liceat, an etiam in ambone vel ad cancellos?

Resp.: Servetur *Ritus servandus* n. 50: « ... ad sedem vel ad altare, inchoat, si dicendum est, *Credo in unum Deum*, ... ».

Ad n. 51:

19. Quomodo celebrans manus tenere debet durante oratione fidelium?

Resp.: Stet manibus iunctis.

Ad nn. 55 et 56:

20. Utrum celebrans calicem pro offertorio praeparare possit stans in medio altaris?

Resp.: Negative, sed praeparet calicem de more ad latus dexterum altaris (excepto casu in *Ritu servando* n. 99, b indicato).

Ad n. 58:

21. Utrum diebus ieiunii et in Missis defunctorum genuflectendum sit ad orationem super oblata?

Resp.: Affirmative, ad mentem Cod. rubr. n. 521, c.

Ad n. 61:

22. Utrum liceat dicere praefationem lingua vernacula, cum dialogus ante, et *Sanctus* post praefationem certo dici possint in lingua populari?

Resp.: Ex recenti concessione (27 aprilis 1965) Apostolicae Sedis, iuxta n. 58 *Instructionis*, competens auctoritas territorialis ecclesiastica permittere potest usum linguae vernaculae in praefationibus, interpretatione populari a « Consilio » confirmata.

Ad n. 69:

23. Utrum liceat caeremoniario assistere ad librum in Missa sollemni, praesertim durante Canone?

Resp.: Servetur *Ritus servandus* n. 69: « In Missa sollemni, inde ab oratione super oblata diaconus et subdiaconus stant post celebrantem. Diaconus autem ad celebrantem accedit quando opus est eius ministerio, statimque in locum suum redit ». Quando diacono impossibile sit assistere ad librum, caeremoniarius hoc faciat. Servitio autem peracto statim recedat in locum suum. Verbum autem *post* indicat, quod ministri stare debent infra celebrantem, etsi non materialiter post terga ipsius.

24. Ubi stare debent assistentes seu capellani in Missa lecta Praelati durante Canone?

Resp.: Stent *post* celebrantem. Idest, sese habeant uti ministri sacri ad mentem *Ritus servandi* n. 69, supra citati.

Ad nn. 76 et 77:

25. Utrum celebrans expectare debeat finem cantus *Agnus Dei* an prosequi possit cum oratione *Domine, Iesu Christe*?

Resp.: Potest procedere.

Ad n. 84:

26. Utrum celebrans ad digitos purificandos post Communionem adhuc ire debeat ad latus dexterum altaris, an ministrantes ad eum, in medio altaris stantem, accedere possint?

Resp.: Ablutione sumpta, celebrans vadat ad latus dexterum altaris et ibi purificet digitos (excepto casu de quo in *Ritu servando* n. 99, a).

27. Utrum verba *Ritus servandi* n. 84: « Deinde celebrans, stans in medio, et habens apud se librum ... » et n. 85: « ... stans in medio altaris ante librum dicit ... » ita interpretari debeant, ut Missale ponendum sit in medio altaris?

Resp.: Missale pro legendis antiphona ad Communionem et post-communionem relinqui potest aut ad sinistram, sicut exstat pro Canone, aut, calice ex altari ablato, in medio poni, prout magis commodum pro celebrante fuerit.

28. Utrum *Dominus vobiscum* ante postcommunionem omittendum sit secundum *Ordinem Missae* n. 56?

Resp.: *Ordo Missae* generaliter clarificatur et completur a *Ritu servando*, qui hoc in casu dicit: « Ablutionibus sumptis ... osculatur altare, vertit se ad populum et dicit: *Dominus vobiscum*, et reversus ad altare ... ».

29. Utrum liceat complere circulum post *Dominus vobiscum* ante postcommunionem cum liber missalis sit ad latus sinistrum celebrantis, secundum exemplum ad *Orate fratres*?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 87:

30. Utrum benedictio finalis omitti possit, quando benedictio eucharistica immediate sequitur celebrationem *Missae*?

Resp.: Negative. Agitur enim de duabus actionibus diversis et non inter se connexis. Immo magis conveniens videtur ut benedictio eucharistica immediate post *Missam* non detur.

DE RITU SERVANDO IN CONCELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 1. 2° b:

31. Utrum conveniat habere concelebrationem occasione funebrium, loco plurium *Missarum* singularium quae alicubi durante *Missae* exsequiali celebrari solent?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 15:

32. Utrum ministri sacri qui bis in die in *Missae* concelebrata munere suo funguntur, etiam bis sub utraque specie communicare possint?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 31:

33. Utrum etiam Episcopi concelebrantes incensentur per modum unius?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 39 c:

34. Utrum liceat rubricam Ritus concelebrationis Missae n. 39, c: « Verba consecrationis, manu dextera ... ad panem et ad calicem extensa » ita interpretari, ut *palma manus* versa sit ad latus (non ad terram), ut extensio manus intellegatur ut gestus demonstrativus et congruat cum verbis: « *Hoc, Hic* est ... »?

Resp.: Affirmative.

Ad n. 39, e:

35. Utrum concelebrantes qui stant circa mensam altaris illud osculentur ad verba « ex hac altaris participatione »?

Resp.: Affirmative, secundum *Ritum servandum in concelebratione Missae* p. 68: « ... celebrans principalis, et concelebrantes qui stant circa mensam altaris, osculantur illud; deinde omnes se erigunt ... ».

DE RITU COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE

Ad n. 1. 8):

36. Utrum « confirmati *adulti* » intellegantur sensu iuridico, ut in C.I.C., can. 745 § 2, 2, scilicet ii, qui rationis usu fruuntur, an sensu vulgari, i. e. ii, qui saltem annos pubertatis adepti sint?

Resp.: Ii, qui annos pubertatis adepti sunt.

Ad n. 1. 11):

37. Utrum, relate ad Communionem sub utraque specie, quando sermo est de « fratribus conversis », agatur

a) tantum de illis, qui partem ministrantium in concelebratione Missae agunt?

b) de omnibus fratribus conversis professis, qui, concelebrationi Missae participant?

Resp.:

ad a) Negative.

ad b) Affirmative.

* « *Christ reforms His Church* ». Argumentum est circa quod vertet hoc anno Hebdomada, sacrae Liturgiae dicata (« Liturgical Week ») in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis (U.S.A.). Cum maxima frequentia sacerdotum, seminaristarum, religiosarum, laicorum nec non et christianorum separatorum exspectetur, hoc anno hebdomada celebrabitur tribus in locis, sed fere iisdem oratoribus principalioribus in unoquoque loco loquentibus. Sic clare apparet evolutio faustissima huius instituti inde a minimis et timidis incoeptis anni 1940 in ecclesia metropolitana urbis Chicago usque ad « Hebdomadam liturgicam » huius anni 1965 in climate iam postconciari, ad liturgiam quod attinet.

Prima « Hebdomada » celebrabitur in urbe *Baltimore*, Maryland, a die 21 usque ad diem 24 iunii; secunda locum habebit in urbe *Portland*, Oregon, a die 16 ad diem 19 augusti; tertia vero a die 30 augusti ad diem 2 sept. in urbe *Chicago*, Illinois, habebitur.

Inscriptio praevia fiat: 1965 Liturgical Week, 320 Cathedral Street, Baltimore, Maryland, 21201; *aut*: 1965 Liturgical Week, 2838 E. Burnside Street, Portland, Oregon, 97207; *aut*: 1965 Liturgical Week, c/o Extension Soc., 1307 S. Wabash Av., Chicago, Illinois, 60605.

* Friburgi in Helvetia, diebus a 22 ad 28 augusti 1965 habebitur « Hebdomada Internationalis Studiorum de Cantu liturgico » (Semaine d'études internationales: Le chant et le renouveau liturgique - Internationale Studienwoche für katholische Kirchenmusik) in qua periti in re musica ex Anglia, Austria, Belgio, Gallia, Germania, Helvetia, Hispania et Italia, relationes habebunt.

Petitiones inscriptionis fiant ad: Secrétariat de la semaine liturgique, Case postale 379, 1701, Fribourg, Suisse.

Secretariatus Coetuum Episcoporum vel Commissionum liturgicarum cuiusque Nationis rogantur ut ad « Notitiae » transmittant Periodica seu folia, quae forte ab ipsis eduntur ad rem liturgicam moderandam in sua quisque ditione. Idem significant oportet an cupiant *permutationem* cum « Notitiae » habere.

Redactio « Notitiae » grato animo excipiet exemplar Actorum Episcoporum, ex. gr. Litterarum Pastoralium totius Coetus, vel nuntium inceptum, ac publicationum magni momenti in re liturgica pastoralis.

Ordo Missae et Ritus servandus in celebratione Missae

Editio typica

In-16°, pp. 72, L. 800 (\$ 1,40)

Recens *Instructio* de sacra Liturgia quasdam induxit variationes rituales in Missam, integra atque immutata manente eius generali structura. Revisio proinde sive *Ordinis Missae*, sive *Ritus servandi* omnino necessaria erat, ut omnia in cultu divino secundum ordinem fiant.

Kyriale simplex

Editio typica

In-16°, pp. 48, L. 600 (\$ 1)

Modi simpliciores qui exhibentur ii sunt, qui, sive in Editione Vaticana, sive in aliis fontibus ritus romani, ambrosiani et hispanici reperiuntur.

Partes ita disponuntur, ut, praemissis antiphonis *Asperges* et *Vidi aquam*, quinque schemata simplicia Ordinarii Missae efficiant, quae tamen nullam ex se relationem habent cum gradu festivitatis dierum liturgicorum. Attamen singulae partes numeris progredientibus distinguuntur, quo facilius evadat, si placet, Ordinarium Missae, partibus ex diversis schematibus selectis, componere. Tandem unicus ponitur tonus monitionum in fine Missae *Ite, missa est*, et *Benedicamus Domino*; ultimo denique quattuor praebentur toni pro *Credo*.

Ad modum *Appendicis* duo exhibentur toni ad orationem dominicam ab universo fidelium coetu una cum celebrante decantandam.

Cantus

qui in Missali romano desiderantur iuxta Instructionem ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam et iuxta ritum Concelebrationis.

In-16°, pp. 36, L. 600 (\$ 1)

Melodiae quinque partibus distribuuntur: I. Tonus orationis super oblata; II. Toni Canonis (usualis, ad libitum) ab *Hanc igitur* ad *Supplices* inclusive; III. Toni doxologiae Canonis (simplex, sollemnis); IV. Toni orationis dominicae, quando a pluribus decantatur (usualis, ad libitum); V. Tonus embolismi. Sequitur *Appendix*: I. Toni pro *Hanc igitur* propriis; II. Specimina quaedam tonorum pro « Oratione fidelium »: agitur de octo melodiis, quae textibus etiam lingua vernacula exaratis perbelle aptari possunt.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Verso la riforma liturgica

Documenti e sussidi

a cura del P. A. Bugnini, Sottosegretario della sacra Congregazione dei Riti per la sacra Liturgia

Un vol. in-16°, pp. 208, L. 1000

Costituzione sulla sacra Liturgia - Motu proprio « Sacram Liturgiam » - « Instructio » per la esatta applicazione della Costituzione.

Atti della Conferenza Episcopale Italiana: *Decisioni confermate dal « Consilium »* - *Comunicazioni ai Vescovi* - *Deliberazioni provvisorie* - *Ordinario della S. Messa* - *Pregbiera dei fedeli*.

La parola del Papa: *Promulgazione della Costituzione* - *Ai Gruppi dell'Istituto gregoriano di Parigi* - *Ai « Pueri cantores »* - *Al « Consilium »* - *Agli Assistenti Ecclesiastici e Dirigenti di Azione Cattolica* - *Ai fedeli in Udienza generale*.

Per un rinnovamento della celebrazione. Indicazioni pastorali: *Catechesi della Messa* - *I partecipanti nell'assemblea eucaristica* - *L'ambiente sacro* - *Rinnovamento dell'Ordo Missae* - *Schemi di predicazione per la preparazione dei fedeli: la riforma liturgica, la Santa Messa, la liturgia della parola, la liturgia eucaristica, la Comunione.*

CASA EDITRICE HERDER - ROMA

Liturgia viva per gli uomini vivi

Scripta liturgica Iacobi Cardinalis Lercaro cum praesentatione Pauli Aemilii Cardinalis Léger

In 8°, XVIII-436 pp., tegumentum plastificatum. Lit. 4.200

Archiepiscopus Bononiensis iure merito vocatur « Cardinalis sacrae Liturgiae », cum fervens amor ac studium Liturgiae, sensu praesertim pastorali, eum per totam vitam comitatus sit, et nunc exstet Praeses Commissionis liturgicae Italiae et Praeses Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia. Liturgia ipsi semper fuit « culmen et fons » activitatis pastoralis.

Scripta in praesenti volumine collecta comprehendunt totum ambitum Liturgiae pastoralis: Missam, Sacramenta, Officium divinum, annum liturgicum et documenta supremi Ecclesiae Magisterii. Sese extendunt ad omnes activitates et aspectus vitae christianae. Est igitur opus magni momenti et actualitatis, tam pro laicis quam pro sacerdotibus, ob competentiam et experientiam Auctoris et ob genuinam interpretationem doctrinae Ecclesiae et Concilii, quae hodie ad actuosam et magis directam participationem in actionibus liturgicis omnes christifideles vocat. « Liturgia viva per gli uomini vivi » est opus magni Pastoris animarum, qui suas facit necessitates et aspirationes fundamentales hominis in mundo hodierno.